

etiam peccata venialia cum quibus moritur iustus, remitti quoad culpam, vel duntaxat in purgatorio, per conditionem penae solutionem, vel in primo instanti separationis animae, propter opera bona praeterita, ex intentione quasi ad hoc reservata usque ad illud tempus. Non minus, inquam, haec opinio a veritate aberrat, nam prima pars huius dicti falsum supponit, quod nimirum ex peccato veniali actuali praeterito, solum remaneat deputatio hominis ad poenam, & consequenter quod idem sit, peccatum veniale remitti quoad culpam, & quoad remissionem poenae, falsum, inquam, supponit: ex peccato enim veniali actuali, praeter deputacionem ad poenam, remanet quaedam habitualis macula & inordinatio in anima, quae prius tolli debet, quam poena illi debita remittatur, ut supra art. 1. §. 2. in solutione 4. objectionis ostensum est.

85 Nec minus falsa est secunda pars eiusdem dicti: vel enim opera illa meritoria praecedentia instantis mortis, sufficiebant in praesenti vita ad remissionem venialium, vel non; si sufficiebant, ergo ante mortem illa remiserunt: si non sufficiebant, ergo neque etiam in instanti separationis animae sufficiunt.

86 Ad hoc quod fieri potest, ut quis paulo post suam iustificacionem per Sacramentum Baptismi, moriatur in peccato veniali, nullo adhuc opere meritorio facto: Ergo falsum est dicere generatim, venialia deleri post mortem per opera meritoria praecedentia. His ergo sententiis rejectis

Dicendum est, remissionem venialium post hanc vitam fieri per actus contritionis, vel caritatis, quibus anima peccata illa detestatur & retractat. Ita S. Thomas q. 7. de malo art. 11. in corp. ubi sic ait: Venialia remittuntur post hanc vitam quantum ad culpam, eo modo qua remittuntur in hac vita, scilicet per actum caritatis in Deum repugnanciam venialibus in hac vita commissis. Et in resp. ad 9. Remittitur (inquit) in purgatorio peccatum veniale, quantum ad culpam, virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, quia sic comparatur veniale peccatum, sed prout est in actu caritatis desiderantis peccatum.

87 Ratio etiam id suadet, non potest enim veniale remitti, etiam in alia vita, nisi per aliquam formam ipsi oppositam, & cum eo repugnantem, quae alia esse nequit, quam actus contritionis vel caritatis, quibus anima peccata illa detestatur & retractat, ut ex supra dictis manifestum relinquitur: praeterquam quod, generales affirmaciones Scripturae, Conciliorum, & Patrum, affirmantium peccata non remitti sine aliquo actu penitentiae, temere & sine sufficienti ratione restringenda & limitanda non sunt: nulla autem ratio urgens aut sufficiens ab adversariis adducitur, ut patebisolvendo objectiones ipsorum.

88 Obijciunt ergo primo: Cum status alterius vitae, non sit status vitae, sed termini, nullus actus hominis iusti post hanc vitam potest esse meritorius vel satisfactorius, vel consequenter causare remissionem culpe venialis.

89 Sed ad hoc dici potest primo, quod licet post hanc vitam non possit esse meritum praemii essentialis, bene tamen alicuius praemii accidentalis, quandiu manet adhuc anima aliquo modo in via ad beatitudinem, sicut manet quandiu est in Purgatorio, Ita Sanctus Thomas in 4. dist. ad. quest. 1. art. 3. ad 5. ubi haec scribit: Dicendum quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu praemii essentialis, sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu vitae aliquo modo, & ipse in purgatorio potest esse actus meritorius, quantum ad remissionem culpe venialis.

Vel dici potest secundo cum eodem S. Doctore quest. 6. de malo art. 11. ad finem corporis articuli, actum aliquem anime iusti a corpore separata, culpas veniales remittere, non sicut in praesenti vita per modum meritum satisfactorium, sed per modum condignae retractationis & displicentiae, removens prohibens.

90 Obijciunt secundo, si actus contritionis & caritatis quos anime a corpore separata eliciunt, valeant ad remissionem culpe venialis, valebunt etiam pro remissione poenae: Sed hoc dici nequit, aliquo animo illa quam citissime liberarentur ab omni poena, per actus sequentes & ferventes, quos vinculis & impedimentis corporis expeditis, sensuque poenarum, & desiderio bestitudinis excitatae promptissime exercent: Ergo &c.

91 Respondeo negando sequelas Maioris: Ratio est, quia beneficium remissionis culpe est illis necessarium, debent enim, ut fruantur aliquando beatitudine, ad quam jus habent per gratiam sanctificantem, purgari a culpa venialium: & non possunt ab ea purgari, nisi per remissionem, ad quam Deus praerequirat dispositionem aliquam, per detestacionem sufficientem peccati: at beneficium remissionis poenae non est illis necessarium, cum possint rigide satisfati, id est solvere totam poenam debitam peccato veniali. Unde licet per actus caritatis quos in instanti separationis, vel in purgatorio eliciunt, remissionem culpe venialis consequantur, non tamen remissio-

nem poenae illi debita, sed illam in purgatorio per conditionem satisfacionem solvant.

Quares, quandonam anima a corpore separata eliciant actum illum contritionis & caritatis, quo peccata venialia detestantur & retractant, eorumque remissionem consequuntur.

Respondent aliqui, talem actum elici ab anima separata, in ipso instanti separationis animae a corpore, quia anima, statim a corpore separata, agnoscit suas culpas ut impedimentum ad gloriam, & perfectam familiaritatem cum Deo, unde statim eas detestatur, & in ferventem caritatis vel contritionis actum prorumpit, antequam ingrediatur purgatorium, in quo tantum purgantur poenae ex praeteritis peccatis relictae. Haec responsio & sententia probabilitate non caret.

Probabilior tamen videtur alia opinio, quam approbare videtur Sanctus Thomas quest. 6. de malo art. 11. ad 19. ubi innuit animam a corpore separata actum illum caritatis vel contritionis quo peccata venialia detestatur elicere in ingressu purgatorii, rationemque insinuat in illo argumento cui respondet, sic enim ibi dicitur: Quando est aliquid magnum bonum quod differitur, & magnum malum quod imminet, excitatur intentus desiderium ad consequendum bonum, & evadendum malum: Sed anima separata, quae est purgatorio obnoxia, imminet magnum malum, scilicet acerba purgatorii poena, & differitur a maximo bono, scilicet a vita aeterna: Ergo statim excitatur in ea fervens desiderium &c.

DISPUTATIO V.

De perfectione remissionis peccatorum.

Ad questionem 88. D. Thomae.

Explicata natura & principali effectu penitentiae, quae est remissio peccatorum mortalium & venialium, dicitur S. Thomas de perfectione huius effectus, ostenditque peccata semel per penitentiam remissa, per subsequens peccatum non redire. De quo breviter in hac disputatione agendum est. Unde fit

ARTICULUS I.

Utrum peccata semel per penitentiam remissa, per subsequens peccatum redeant, vel redire possint?

§. I.

Quibusdam praemissa, triplici conclusione utraque discutitur resolvitur.

Notandum primo, peccata remissa duobus modis re dire dici posse, primo quoad esse physicum, si nimirum idem numero peccatum jam omnino destructum reproduceretur; secundo quoad modum essendi moralem, si nempe propter peccatum subsequens Deus rescindat praecedentem condonacionem, & peccata remissa rursus in memoria retineat in ordine ad odium peccatoris propter illa, & in ordine ad poenam illis debitam.

Notandum secundo, dupliciter adhuc intelligi posse, a peccata remissa redire quoad modum essendi moralem, nimirum simpliciter & secundum quid. Ut redeant primo modo, requiritur quod peccatum subsequens remissionem, virtualiter continet totum reatum praecedentem delictorum; ut vero redeant secundo modo, sufficit quod peccatum subsequens fiat gravior intuitu praecedentis remissionis aliorum peccatorum.

Notandum tertio, non hic solum esse questionem de reditu peccati quoad culpam, sed etiam quoad poenam; neque solum procedere de lege & potentia Dei ordinaria, sed etiam de extraordinaria & absoluta. His praemissis, pro resolutione difficultatis proponitur

Dico primo, secundum legem Dei ordinariam peccata semel per penitentiam remissa, non redeant simpliciter & proprie, nec quoad esse physicum, nec quoad modum essendi moralem, neque secundum reatum culpae, neque secundum reatum poenae, ita quod eorum macula reponatur in homine, aut quod propter illa a Deo puniatur. Est contra nonnullos ex antiquis Theologis, qui putant peccata dimissa redire quoad modum essendi moralem, (teste D. Thoma hic art. 1. in corp. & Sancto Bonaventura in 4. dist. 12. art. 1. quest. 1.) quorum aliqui, ut Hugo Victorinus lib. 2. de sacram. parte 14. capite 9. generatim redire asserunt per quodcumque peccatum sequens: alii vero, ut Praepositi quidam a Divo Bonaventura citatus, non per quodlibet generatim, sed tantum, per hoc quatuor, odium fratrum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, & retra-

et retractationem penitentiae prius factae: Unde illud dicitur, Unde illud dicitur, Unde illud dicitur.

Extrares obit, apostasiam sit, spernitque fieri. Remissa peccata, pristina culpa redit.

Prima pars quae asserit non redire peccata secundum esse physicum, manifesta est, peccata enim non possunt redire secundum esse physicum, nisi redire idem numero actus per quem commissa sunt: At talis actus redire nequit, saltem secundum potentiam Dei ordinariam, quod enim semel defuit, nequit idem numero secundum potentiam Dei ordinariam reproduci; Nec possunt actus vitales reproduci a Deo, sine influxu vitali voluntatis, quae sine dubio experiretur in seipsa reproductionem illam, non minus quam experta fit primam productionem: Ergo secundum legem Dei ordinariam, peccata semel per penitentiam remissa, quoad esse physicum redire nequeunt.

Quod vero etiam non redeant secundum modum essendi moralem, five quoad culpam, five quoad poenam, ostenditur primo ex Scriptura & SS. Patribus, dicitur enim Ezechiel. 18. Si impius egerit penitentiam, omnium iniquitatum eius quae operatus est non recordabor. Et Nehem. 1. ubi Vulgata habet, Non confinger duplex tribulatio, Septuaginta vertunt: Non vindicabit Dominus bis id ipsum in tribulatione. Si autem peccata secundum modum essendi moralem redirent per sequens peccatum, Deus recorderetur eorum, & bis ea puniret: Ergo peccata per penitentiam remissa, five quoad culpam, five quoad poenam, non redeant. Unde Prosper in resp. ad 2. objectionem Gallorum: Qui rediit a Christo, et alienus a gratia fuit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed ratio non id quod remissum est recedit, in originali peccato damnabitur; qui tamen propter postrema crimina ea morte afficitur. Et Gelafius Papa in cap. Finali de penit. dist. 4. Divina (inquit) clementia, dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.

Ratio etiam suffragatur: Primo, quia remissio peccatorum, prout nunc fit, est talis ut peccata quoad esse morale aboleantur absolute, id est sine ulla conditione, vel suspensione, vel dependencia a peccato futuro: Ergo peccatum sequens non potest esse causa ut redeant secundum modum essendi moralem. Patet Consequencia, quia si peccatum sequens revocaret priora, id faceret propter decretum divinum, quia scilicet Deus constituit, ut qui post remissionem peccaret, reus fieret omnium peccatorum praeteritorum. Antecedens vero probatur, tum ex Scriptura in qua absolute penitentem promittitur remissio peccatorum; tum ex formis Sacramentorum, quae etiam absolutam peccatorum remissionem significant.

Secundo, si quis peccavit peccato infidelitatis, & postea poenitet, & iterum labatur in peccatum luxuriae, vel per tale peccatum redit prior infidelitas, vel non? Si non redit, habebit intentum; si redit, ergo amittit fidem, per peccatum luxuriae; quod est omnino absurdum, cum ex vi talis peccati, nulli articulo fidei discredat. Ita egregie dicitur Joannes a S. Thoma hic disp. 39. art. 1.

Addit, quod si redirent peccata remissa, non possent iterum tolli, nisi per aliquod Sacramentum; Non aliud quam penitentia: Ergo teneretur homo iterum confiteri peccata illa, quod est absurdum, & a Benedicto XII. Extravaganti, Inter cunctas damnatum. Ibi enim definit, absurdum esse, ut quis peccata per penitentiam remissa, rursus debeat confiteri; Et ut debitor liberatus, adhuc maneat ad solvendum obligatus.

Confirmatur: Si peccata actualia per penitentiam remissa redire possent, etiam peccatum originale per baptismum sublatum posset redire. Sed hoc dici nequit? Ergo nec illud. Sequela Maioris videtur manifesta, est enim eadem ratio quoad hoc de peccato originali, ac de actualibus. Minor vero suadet, si enim rediret peccatum originale, deberet rursus tolli per aliquod sacramentum: Non per penitentiam, quia illa non est instituta in remedium peccati originalis, sed solum peccatorum actualium post Baptismum commissorum: Ergo per Baptismum; & sic Baptismus deberet iterari, quod est haereticum.

Haec argumenta probant, peccata semel per penitentiam remissa, non redire etiam quoad poenam; cum enim poena non debeat nisi propter culpam, si non redeat peccatum quoad culpam, non redibit etiam quoad reatum seu obligationem ad poenam.

Dico secundo, Licet peccata semel remissa non redeant simpliciter propter peccatum subsequens, redire tamen secundum quid. Primo, quia frequenter & vulgari loquendi modo, dicitur aliquid redire, quando ei succedit aliquid simile; sic enim dicimus redire febrem, redire pluviam, redire hyemem, & similia; At peccata mortalium quae de novo committuntur, quantum ad privacionem

gratie, & reatum poenae aeternae, similia sunt illis quae iterant per penitentiam remissa: Ergo peccata semel remissa, redeunt secundum quid propter peccatum subsequens. In hunc sensum D. Thomas hic art. 1. intelligit illud Jacobi 2. Quicumque totam legem servaverit, offerens mercedem in uno, factus est omnium reus: quia scilicet privatur omni gratia, & beatitudine, ac mercede operum, proinde ac si nullum mandatum servasset.

Secundo, peccata semel remissa, propter peccatum subsequens redeunt secundum quid, quia peccatum subsequens fit gravior, ob circumstantiam ingratitude, in hoc consentiens, quod homo post acceptum beneficium remissionis divinae, peccat.

Est autem magna differentia inter hunc modum redeandi, & alium parum & simplicem quem praecedenti conclusione negavimus; nam in simplici reditu, plura essent peccata, praeter illud sequens; in isto autem non est nisi peccatum illud quod de novo committitur, sed aggravatum ex peccatis prioribus, five potius ex eodem remissione. Sicut autem quaedam peccata sunt, quae magis pugnant contra beneficium remissionis, ita maiorem in se continent ingratitude, & magis aggravantur, huiusmodi sunt ea quatuor quae recensit I. D. Thomas hic art. 2. scilicet odium fratrum, apostasiam a fide, contemptum confessionis sacramentalis, & retractatio penitentiae prius factae.

Dico tertio, peccata semel remissa nequeunt, etiam de potentia Dei absoluta, redire quantum ad esse physicum, bene tamen quantum ad modum essendi moralem.

Probatur prima pars: Licet possit Deus de potentia absoluta alia a peccato jam destructo reproducere, non tamen ipsam peccatum: Sed per penitentiam peccatum jam omnino destructum est; Ergo a Deo, etiam de potentia absoluta, reproduci nequit, nec per consequens redire quantum ad esse physicum. Major probatur, quia alias Deus esset auctor peccati, esset enim causa proxima & principalis illius, ex eo quod causa secunda non posset esse nisi instrumentum ad reproductionem peccati, illa enim non habet virtutem innatam ad reproductionem rem semel destructam.

Secunda quoque pars suadetur, cum enim Deus sit supremus & absolutus Dominus, possit de potentia extraordinaria remittere alicui peccatum, sub ea conditione, ut si paltea iterum peccaret, tantam culpam & reatum poenae contraheret, quantum contraxisset ex utroque peccato, si prius non fuisset remissum, in quo casu culpa & reatus poenae rediret quoad esse morale: ergo peccata semel remissa, de potentia Dei absoluta, redire possunt quantum ad modum essendi moralem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem obijciuntur in primis quaedam Scripturae & SS. Patrum testimonia, quibus significari videtur quod peccata jam remissa redeant, dicitur enim Psal. 108. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini. In quem locum Augustinus, si ergo Judas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua praeterita, vel parentum iniquitates perhiberet: sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem veteris generis, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipse puniretur. Scriptura etiam docet; Deum data occasione recordari peccatorum quae jam remissa sunt, ea scilicet puniendo, ut patet ex verbis illis mulieris Sareptanae ad Eliam 3. Regum 17. Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meas, & interficeres filium meum. Item Matth. 18. licet Dominus sermo nequam omnem debitum dimississet, tamen postea audita ejus crudelitate in conservum, illum revocavit dicens: Non exiit inde donec reddat unguentum debitum: Ergo per subsequens peccatum revocavit debitum quod ei dimissum fuerat. Unde Augustinus de sermone Domini cap. 6. ait in persona Domini: Si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram respicbo. Similia dicunt Ambrosius, Gregorius, Beda, Rabanus, & alii.

Ad locum Psalms 108. respondeo quod iniquitates parentum dicuntur redire in memoriam Dei pro filijs, non quantum ad culpam, sed quantum ad aliquam poenam temporalem, quae Deus solet castigare peccata parentum. De qua etiam intelligi debent verba viduae ad Eliam, loquebatur enim de memoria iniquitatum quantum ad punitionem aliquam temporalem, quae Deus castigabat illam in morte filii, vel fortasse illa mulier habebat peccata non remissa, & loquebatur de illis.

Ad parabolum vero Matth. 18. dicendum est quod a servo illo exigitur totum debitum propter peccatum sequens, quia debitum illud rediit secundum quid; & per quendam equivalenciam, propter immiseracionem & crudelitatem, quae erga conservum usus est. Unde per parabolum

parabolam illam Chriftus significare tantum voluit, Deum gravissime offendi ex eo quod nolimus remittere injurias nobis illatas, & peccatum illud immifericordie feveriffime puniri, juxta illud Jacobi 2. Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: Id est judicium duriffimum illi fiet. Quo documento plurimam egebant Judaei, vindictae cupidissimi.

18 Ad sanctos Patres respondeo eos loqui de reatu peccatorum, quoad circumstantiam ingratitude, modo in secunda conclusione explicato: vel de reatu peccatorum quoad culpam & poenam aequivalentem; quia per subsequens peccatum contrahitur poena aeterna sensus, & privato ejusdem beatitudinis obiectiva, juxta quem sensum, ut supra annotavimus, explicatur illud Jacobi 2. Qui offendit in uno, factus est omnium reus.

19 Obijciunt secundo: Bona opera per peccatum mortificata, redeunt per poenitentiam: Ergo similiter peccata per gratiam occulta & tecta, redeunt per peccatum subsequens. Antecedens constat ex dicendis disput. sequenti. Consequentia vero probatur, quia non videtur major ratio, cur per poenitentiam redeant merita peccatum mortificata, & non redeant per subsequens peccatum mortale peccata prius remissa, cum facilis mala reviviscant, quam bona. Unde Deum Ezechiel 18. eodem modo dicit se non recordaturum amplius bonorum operum quae quis, in peccatum cadens, antea egerat: sicut dicit se non recordaturum peccatorum de quibus egerat poenitentiam.

20 Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritem; quadruplex enim assignari potest ratio discriminis. Prima est, quia Deus prior est ad beneficiandum & miserendum, quam ad puniendum: & ipse est auctor meritorum, & non peccatorum: unde non mirum, si merita per peccatum mortificata maneant in divina acceptatione, & sublato peccato, quod impedit eorum effectum, reviviscant: peccata vero remissa non maneant in indignatione divina, ut per sequens peccatum mortale redeant in se formaliter quoad culpam, vel poenam aeternam. Quamvis ex parte hominis ad malum proni facilius est mala reviviscere, quam bona.

Secunda est, quia promissiones debent ample & favorabiliter intelligi, & contra vero comminationes, utpote strictae, debent potius restringi, & intelligi quantum fieri potest, cum moderatione favorabili; Atqui promissio est quod Deus dicit se non amplius recordaturum omnium iniquitatum poenitentis; comminatio vero, quod dicit se non recordaturum bonorum operum iusti in peccatum lapsi: Ergo debent rationabiliter differtissime intelligi, illa quidem amplissime, ista vero cum favorabili restrictione, Per quod patet ad locum Ezechielis.

Tertia est, quia peccata de facto Deus absolute delet, ut supra ostendimus, merita vero non nisi sub conditione; unde in Scriptura aliter loquitur de meritis & de peccatis; nusquam enim ait merita iusti post lapsum extirpari, aboleri, projici in profundum maris, & similia quae dicit de peccatis per poenitentiam remissis.

Quarta assignatur a D. Thoma in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. ad 6. ubi sic dicitur: Remissio peccatorum est principaliter opus Dei, sed mortificatio meritorum precedentium est opus hominis: Homo autem sua actione non potest evadere peccatum peccatorum annullare: potest autem sua actione evadere quod per ipsum factum est: Et ideo potest mortificationem precedentium meritorum per meritum sequentia poenitentia annullare, praecipue gratia adiuta.

21 Obijciunt tertio: Si alicui per poenitentiam remittatur culpa mortalis, & poena aeterna illi debita, relicto reatu poenae temporalis laudae in purgatorio, illeque postea antequam pro poena illa temporalis satisfecerit, incidat in aliud peccatum mortale, & statim moriatur, non solum torquetur poena aeterna, debita tali peccato, sed etiam debita priori remisso; quia poena temporalis in quam fuit commutata, per subsequens peccatum fit aeterna: cum enim in inferno nulla sit redemptio, aut poenarum alleviatio, nulla in eo est poena temporalis: Ergo in aliquo casu peccatum per poenitentiam remissum, redit per subsequens peccatum, saltem quantum ad poenam aeternam quae in temporalem commutata fuerat in justificatione peccatorum.

22 Respondeo Franciscus Amicus hic disp. 7. sect. 1. in fine, in casu posito poenam illam temporalem reddi aeternam per accidens, quia ille homo per peccatum sequens, cum morte conjunctum, constituit se incapacem satisfactionis temporalis pro aliqua poena, & sic impossibile est illam poenam finire, non ex eo quod Deus imputet culpam jam remissam, sed ex illo statu in quem incidit ille homo per damnationem aeternam. Haec solutio probabiliter non caret; quia tamen hoc videtur valde durum, & contra iustitiam, ut pro culpa jam remissa, sine novo rea-

tu subeat quis poenam aeternam, cum solum debeat temporalem.

Melius respondetur cum S. Thoma in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. ad 5. ubi relata hac priori solutione, & rejecta, subdit: Et ideo alii dicunt quod poena, cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno puniatur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod in inferno sit redemptio, quia poena quae solvitur, non redimitur: Non est inconveniens, quod quantum ad aliquod accidentale, poena inferni minuetur, usque ad diem iudicii, sicut etiam augetur, ex consuetudine scilicet damnatorum.

DISPUTATIO VI.

De reviviscencia meritorum,

Ad questionem 89. D. Thoma.

Do sunt praecipui effectus poenitentiae, nimirum remissio peccatorum; & reviviscencia meritorum. Primus convenit illi per se, alter vero solum per accidens; nam per se poenitentia solum remoyet peccatum, quo remoto statim merita reviviscunt, & effectum suum qui per peccatum impediatur fortiantur. De primo effectus tribus disputationibus praecedentibus fuisse egimus, in hac vero de altero distulerimus.

ARTICULUS I.

Utrum merita seu bona opera, per peccatum mortificata, per poenitentiam reviviscant?

§. I.

Quibusdam praemissis conclusio affirmativa statuitur.

Manifestum est, per poenitentiam recuperari gratiam sanctificantem, cum justificatione peccatoris fiat per infusionem talis gratiae. Constat etiam, per illam recuperari virtutes infusas, cum illae sint proprietates gratiae, etiamque subinde inseparabiliter comitentur. Unde Lucae 15. Pater filio prodigo redeuntis & resipiscitis, jubet reddi stolam primam, & annulum, & calcamenta, id est gratias & virtutes ante infusas, & per peccatum deperditas: ut interpretatur Hieronymus Epist. 146. ad Damasum, & Ambrosius lib. 7. in Lucam ad caput 15. alique Patres.

Solum potest esse dubium de aliquibus virtutibus, quae videntur irrecuperabiles, sicut est virginitas, & innocentia; illa quidem, quia consistit in totali insipientia rei venereae; ista vero, quia consistit in immunitate ab omni peccato. Sed dicendum breviter, istas etiam virtutes per poenitentiam recuperari, quantum ad formale, id est quantum ad ipsam habitum, & inclinationem quam habent ad suos actus, licet non semper restituantur, quoad id quod in ipsis de materiali importatur, quia aliquando materia circa quam versantur, est irrecuperabilis, ut constat in virginitate, quae habet pro materia insipientiam venereae, implicat autem illam recuperari ab his qui voluptates venereae experti sunt, ut de se patet. Unde Sanctus Thomas 2. 2. quest. 150. art. 2. ad 3. Virginitas reparari potest per poenitentiam, quantum ad id quod est formale in virtute, non autem quoad id quod est materiale in ipsa, non enim si quis magnificus absumperit divitias, per poenitentiam peccati restituitur divitias; similiter ille qui virginitatem perdidit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum. Haec sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est, an per poenitentiam merita, seu bona opera mortificata, reviviscant, seu recuperent vim quam habebant perducendi hominem ad vitam aeternam. Quod ut magis explicetur.

Sciendum est, opera quae homo per extrinsecam Dei ordinationem ad finem supernaturalem elevatur potest elicere, esse in quadruplici differentia, alia enim sunt viva, alia mortua, alia mortificata, & alia mortificata. Viva sunt, quae homo ex principio vitali, gratia scilicet & caritate, operatur. Mortua, quae ex genere suo & proprio objecto bona sunt, sed ab homine existente extra statum gratiae elicta; vite principio omnino carent. Mortificata, quae mortem causant in anima, privando eam gratia; quae tantum ad vitam supernaturalem se habent ad animam, sicut anima ad corpus, quantum ad naturalem, ut egregie expendit Augustinus serm. 5. de verbis Domini, his verbis: Sicut anima est vita corporis, si anima vita est Deus (unitus illi per gratiam & caritatem) sicut expirat corpus, cum animam emittit; ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amittit, mors anima. Anima emissa, mors corporis. Demum opera mortificata ea dicuntur, quae a gratia & caritate elicta, per subsequens peccatum

peccatum dicuntur mortificata, ex eo quod impediuntur ne habeant vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam aeternam; metaphora ducta a membris corporis animalis, quae tunc dicuntur mortificata, quando sunt impedita a suis effectibus, sive ab exercitio suorum operationum.

Practens ergo difficultas non procedit de operibus vivis, quia illa non egent reviviscencia, ut patet; neque de mortiferis; quia potius illa per poenitentiam destruantur; neque de mortuis, quia haec cum nunquam fuerint viva, non possunt intelligi reviviscere; nam reviviscere est iterum vivere, unde supponit vivere, seu vixisse. Tota igitur quaestio devolvitur ad bona opera & merita mortificata, per peccatum, de quibus inquirimus, actionum, quae poenitentiam reviviscant, seu recuperent vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam aeternam, quae fuerant privatae per peccatum? Pro resolutione.

Dico breviter, merita seu bona opera, per peccatum mortificata, reviviscere per poenitentiam. Ita D. Thomas hic art. 5. & Theologi cum illo, qui haec conclusionem adeo certam existimant, ut oppositum errorem esse affirmant.

1. Probatur primo ex illo Joel 2. Reddam vobis annos quos comedistis locustas & bruchos. Quae verba interpretantur SS. Patres de reviviscencia meritorum; ac si diceret Scriptura, reddam vobis mercedem praeiteritum actionum, quas locustae & bruchi vestrorum peccatorum fero privaverant vramio. Unde Glossa interlinearis, ex Hieronymo sumpta, ibidem ait: Consilio terra & latere quae prius dominicum sementem tua ariditate perdididerat, quia magnificavit dominus ut faceret tecum misericordiam, & lignum Crucis afferret fructum suum, & Spiritus Sanctus dona dilectissima, suam cunctis tribueret largitatem. Vos quoque quos poenitentiam iusto voco filios Sion & Eclésiis, latramini atque gaudete, quia tribuit vobis Deus Pater Deitorem iustitiae (vel alimenta iustitiae, sicut Septuaginta legunt) Et non solum hoc dedit, sed fecit vos vobis virtutum fructibus abundare. Tum deinde mox: Et annos quos perturbaveritis ante regnabitis perdidideritis in vobis, quando opera vestra, locustae, bruchi, rubigo, erucasque (peccati) consumpserat, Deus vobis perire non passus est. Undeque infer: Si poenitentiam autem tantam uberoctam Deus pollicetur, quid responderit Novatus, negans poenitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fuerint opera poenitentiae?

2. Probatur secundo conclusio ex illo Pauli ad Hebraeos 6. Non enim est iniustus Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectis quam ostendistis in nomine Iesu. Pertraerat Apostolus Hebraeos lapsos, per illa verba: Impossibile est eis qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum calicis, & prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. Deinde vero, ut eos excitet ad resipiscitiam, consolatur ipsos dicens, Deum non esse iniustum; quia si a peccato per poenitentiam resurgant, Deus bona eorum opera praecedentia compenabit premio vite aeternae. Ita hunc locum explicat SS. Patres, Chrysolom. homil. 10. Athanasius oratione de blasphemia in Spiritum Sanctum, Epiphanius haeresi 59. Augustinus de fide & operibus cap. 14. D. Thomas lect. 3. in hunc locum, & Glossa ordinaria, ibidem dicens: Sicut enim priora bona per sequentia mala mortua fuerunt, & irrita facta; ita ipsa eadem per poenitentiam, & alia bona sequentia reviviscunt.

3. Favet etiam Tridentinum sess. 6. cap. 10. ubi sic ait: Haec igitur ratione justificati hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim est iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri boni, & dilectionis, quam ostendistis in nomine Iesu. Quibus verbis Tridentinum distinguit duo hominum genera: Unum eorum, qui in accepta gratia perpetuo perseverant, quos ad premium laborum sperandum hortandos esse, ait verbis illis Apostoli 1. Corinth. 15. Abundate in omni opere bono &c. Alterum eorum, qui gratiam amissam recuperant, ad quos pertinet locus posterior Apostoli ad Hebraeos 6. Non est iniustus Deus &c. Alioquin Concilium partem illam assertionis suae sine confirmatione relinqueret, frustraque diceret, proponenda esse verba illa iis qui amissam gratiam recuperaverint, ut intelligant Deum non oblivisci bonorum operum quae fecerunt ante lapsum.

4. In confirmationem eisdem veritatis adducit Hugo Cardinalis verba illa Jerem. 2. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & caritatem desponsationis tuae. Quid (inquit) est Deus miserantem recordati adolescentiae & caritatis nostrae quam pissina opera in caritate facta, & peccato interrupta, oblivioni non tradere. In eundem sensum explicat SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, Chrysolomus, Theodoretus, Theophylactus, & D. Thomas, illud Apostoli ad Galat. 3. cuncta passi estis sine causa? si tamen sine causa.

Quasi dicat Apostolus Galatis, post magna merita in peccatum & Iudaismum prolapsis, in vestra situm est potestate efficere ut a fitis passi frustra, id est sine fructu, si maneat in peccatis vestris; aut etiam cum fructu, si a peccatis resurgatis.

Probatur tertio conclusio ex Tridentino citato quod 8 post verba supra relata, paulo post addit: Nihil iustificatio amplius deesse credendum est, quominus plene, illi quidem operibus, qui in Deo sunt facta, divina legi pro huius vita statu satisfecisse, & vitam aeternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censentur. Ubi tres innuit condiciones requiri, ut opera nostra sint meritoria, & reipla consequantur suum premium; nimirum ut sint opera hominis iustificati, ut sint facta in Deo, sive ex Dei gratia & auxilio, & ut qui ea fecit, in gratia decedat; & quod valde notandum est, ait, Nihil amplius deesse credendum est. Atqui merita mortificata habent duas priores condiciones, ut constat: & tertiam recuperant virtute poenitentiae, utpote in qua datur poenitentiae gratia habitualis, cum qua potest decedere: Ergo merita mortificata, per poenitentiam reviviscunt.

Ratio etiam id fuset: Causa enim carens aliquo suo effectu, praecipue propter impedimentum, debet, seculo impedimento, illum habere v. g. lapis in aere suspensus, & fune impeditus, non deorsum feratur, praecipue si, sublato obice, redit ad centrum: Sed merita antiqua, per subsequens peccatum, tantum fuerint impedita a suo effectu, qui est tribuere homini jus ad vitam aeternam; Ergo cum virtute poenitentiae tollatur illud impedimentum, debent effectum illum homini tribuere, in quo eorum reviviscencia consistit. Hanc rationem infinat S. Thom. in 4. dist. 14. q. 2. art. 2. ubi inquit, quod sicut ventus suffragans nubem, nubis Solem reficit, ita poenitentia tamquam removens prohibens gratiam gratum facientem, & omnes virtutes, nobis reficitur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primo: Quod omnino moritur seu destruitur, non potest per poenitentiam reviviscere seu reparari: Sed merita praecedentia per subsequens peccatum omnino extinguuntur & destruantur: Ergo non reviviscunt per poenitentiam. Major patet, Minor probatur. Aequo, immo magis potens est peccatum ad destructionem meritorum praecedentium, quam gratia ad destructionem peccatorum sive demeritorum antecedentium, habet enim peccatum infinitam malitiam, gratia vero e contra finitam bonitatem: Sed gratia ita destruit peccatum, ut nihil ipsius vel physicum vel morale remaneat: Ergo a fortiori peccatum ita praecedentia merita destruit, ut illa nec physice, nec moraliter, nec in se, nec in divina acceptatione remaneant.

Confirmatur, Ideo per gratiam destruit omnino peccatum sive demeritum, quia est forma ei contraria, & cum ipso impossibilis: Sed peccatum superveniens est etiam forma contraria & impossibilis cum valore meritorum: Ergo per illud talis valor omnino destruitur.

Confirmatur amplius: Idcirco gratia omnino destruit peccatum, quia tollit fundamentum reatus sive obligationis ad poenam aeternam, videlicet rationem maculae ex praeterito peccato relictae: Atqui similiter per peccatum destruit fundamentum valoris & condignitatis, quam habent merita ad gloriam, nimirum ipsa gratia sanctificans: Ergo per peccatum destruitur omnino valor & condignitas ad gloriam quam habebant merita praecedentia, seu bona opera ante ipsam peccatum elicta.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod est gratia secundum se praecise non fit fortior ad destructionem demeritorum, quam peccatum ad destructionem meritorum, bene tamen ut subest legi divinae misericordiae volentis acceptare merita praeterita ad premium, licet mortificata, & nolentis punire delicta semel dimissa, licet delinquens iterum peccet. Quod si queras fundamentum asserendi talem legem, dico esse in primis loca Scripturae & Concilii Tridentini, nec non SS. Patrum, ex quibus §. praecedenti deduximus merita mortificata reviviscere. Secundo esse proclivitatem Dei majorem ad premium quam ad puniendum, ratione cuius semper purit citra & praemium ultra condignum.

Ad primam confirmationem similiter nego Minorem, peccatum enim sequens merita, & illa mortificans, non est contrarium eorum valori, sed tantum impedimentum ipsius effectui, sive iuri ad premium ei correspondens; unde cum causa carens aliquo suo effectu, propter impedimentum, seculo obice, illum habet; sublato peccato per poenitentiam, & restituta gratia habituali, antiqua,